

PRAE COGNITA.

CAPVT I.

D E

THEOLOGIA IN GENERE.

§. I.

Vox Theologiae inscriptioni apo- *Etymologia.*
calypseos ab antiquis adiecta
ducitur a voce Θεός et λόγος, notatque
discursum, scientiam, rationemque de D E O, eo
paſto, quo Physiologia discursum de natura, Are-
thologia discursum de virtutibus, Ethologia dis-
cursum de moribus, notat. Voces enim raro id
omne comprehendunt, quod vſu suo significant,
sed nonnunquam, vel a parte tantum rei signifi-
catae, vel ab accidente aliquo desumuntur. Nec
enim vox Theologiae *objēctum* suum *materiale*
adæquate exprimit, sed partem tantum eius quan-
quam nobilissimam, D E V M, *objēctum* vero *for-
male*, siue considerandi modum, qui in reuelatione
consistit, plane subticet, quare et naturali Theolo-
giae competit.

§. 2. Quoad homonymiam, Theolo- *Homonymia.*
gia est vel *Christiana*, vel *Gentilis*, vel
Iudaica. *Christiana* proprie est, quae ex reuela-
tione V. et N. T. descendit. Quanquam enim e
gentili Theologia, ea rerum diuinarum considera-
tio, quae ex natura res diuinias et mores hominum
considerat, aliquo modo ad Christianum Theolo-
gum